

De electione Papæ; Ad quos pertineat; In qua persona cadere valeat; Et quomodo facienda sit, vt valida, & canonica dicatur; Et de potestate Collegij Cardinalium Sede vacante, vel plena: Et pluribus speciebus vacationis sedis Papalis.

S V M M A R I V M

- 1 **A**N Papa sui eligat successorem, & firmatur negatiua.
- 2 Ad quem pertineat ius eligendi Pontificem.
- 3 De stylo Religionum eligendi Generalem.
- 4 Quid de Hierosolymitana Religione.
- 5 De restrictione electionis Pontificis ad Collegium Cardinalium, & de istorum origine.
- 6 De eodem.
- 7 De iure electio Episcopi spectat ad Capitulum.
- 8 Spectat ad Cardinales presentes Collegialiter congregatos.
- 9 Totum ius Capituli etiam in paucis, vel in uno esse, & consolidari potest.
- 10 Non existentes in sacris, non habent vocem in Capitulo, seu in dicta electione.
- 11 Electio facienda est in conclauis, & quid se præcedat ante clausuram conclauis mortuo Pontifice.
- 12 De præminentia, & dignitate Cardinalium sede vacante.
- 13 De ingressu, & clausura conclauis.
- 14 Qui sint custodes fixi, ac principales conclauis.
- 15 De Marefcallo, & quare familia Sabelorum hanc prærogatiuam habeat.
- 16 De personis, quæ remanent in conclauis cū Cardinalibus.
- 17 Cardinalium absentium non fit solemnitas conuocatio.
- 18 Non admittuntur absentes idest ex conclauis, ad votum per procuratorem.
- 19 Quomodo dent votum infirmi existentes in conclauis.
- 20 Non concludunt electionem nisi duæ ex tribus partibus.

- 21 De forma huius electionis.
- 22 Qui sint eligibiles, & an soli Cardinales.
- 23 Quare electio cadere soleat in Cardinali.
- 24 De vacatione sedis per mortem, & quid fiat, ista sequens.
- 25 De aperitione carcerum, & libertate carceratorum.
- 26 De vacatione sedis per renunciationem.
- 27 De vacatione ob crimen hæresis, vel aliud.
- 28 De iurisdictione, & potestate Collegij Cardinalium sede vacante.
- 29 De actibus concernentibus Episcopatum Urbis, quod Collegium gerat vices Capituli Cathedralis.
- 30 De propositione quod Collegium Cardinalium constituit vnum corpus cum Papa.
- 31 De eodem, & quod solus Papa est caput Ecclesie sine mixtura alterius.
- 32 Dantur exempla inter adiutores voci consultiui, & voti decisui.
- 33 Declaratur equiuocum procedentium cum terminis aliorum Senatum.
- 34 De distinctione inter Imperatorem Romanum, & alios Principes.
- 35 Quando Papa ardetur à consensu Collegij.
- 36 Quod corpus Ecclesie sit penes Ecclesiam vniuersalem, & Concilium generale ad quos effectus.
- 37 Qualis potestas ab Ecclesia sit transfusa in Collegium Cardinalium.
- 38 An Collegium cogat electum in Pontificem ad acceptandam electionem.
- 39 De potestate Collegij in ijs, quæ concernunt potestatem Patriarchalem.
- 40 De eadē potestate in concernentibus Principatum temporalem.
- 41 Quomodo ea potestas, quæ Collegio competit sede vacante, sub eo exerceatur.

D I S C. III.

Inter problematicas quæstiones, quæ per Theologos, præsertim in scholis, vel circulis, disputari solent, ea dignoscitur, an Papa sibi eligere, ac deputare valeat successorem, plurag; argumenta pro vtraque affirmatiua, & negatiua

tiua sententia vrgere videntur, quæ per plures Scriptores recēsetur, & præsertim per modernos, qui de hac materia formiter agere professi sunt A; Practicè autem, ista quæstio idealis remanet, cum extra controuersiam sit opinio negatiua, vtpotè à continuata praxi comprobata, ab ipso B. Petro vsq; ad præsens; Ea potissimum circumstantia desuper ponderari solita, quod cum ipsemet Petrus, Clementem successorem sibi destinasset; Attamen illa primitiua Ecclesia, quamuis sub infidelium ac Tyrannorum persecutionibus, in magnæ depressionis statu constituta esset, adhuc ex Spiritu Sancti afflatu, alium elegit Pontificem Linum, deindeque isto mortuo, Cletum, quibus, ex electione, non autem ex Petri destinatione, Clemens successit.

Quamuis autem vniuersalis Ecclesie viduatæ pastor, ab ipsa etiam vniuersali Ecclesia eligi debuisset; Attamen quia, ob præfatas infidelium, ac Tyrannorum persecutiones, publica, & solemnitate generalia practicabilia non erant; Ac etiam quia conuentus deputatorum ab vniuersi Orbis Ciuitatibus, vel Prouincijs, nimium incommodus, penèq; impracticabilis, etiā de præfenti esset, diuturnamq; sedis vacationem causaret, multo magis attenda illorum temporum conditione; Hinc proinde, rationabilis inoleuit consuetudo, ab Ecclesie vniuersalis implicito consensu approbata, vt eius nomine ac vice, à sola Ecclesia Romana, ex clero & populo fidei constituta, ea fieret.

Idque etiam hodiè, cum exemplis minoribus praxis docet, quod scilicet quamuis regulariter electio Generalis Prælati Religionis, ad istam vniuersam, ex omnibus prouincijs, ac Mundi partibus in destinato loco in comitijs congregatam per prouinciarum Discretos, ac Prælatos pertineat, vt frequentior praxis docet, atque in rerum regularium Sede aduertitur; B. Attamen, præsertim insignis, ac primaria Hierosolymitana Religio militaris, quæ vulgò Meleuitana di-

4 citur, diuersam habet consuetudinem, quod scilicet sequuta vacatione Sedis Magistralis, absque aliqua comitiorū generalium conuocatione; Electio fit incontinenti per solos religiosos ad formam illorum stabilimentorum vocem, actiuam habentes, qui in eo Conuentu resideant, vt ita quo magis celeriter fieri potest, electio noui Magni Magistri sequatur.

Cum autem tractu temporis, dilatata fide, fideliumq; numero longè aucto, præsertim post baptismum Constantini, (ex quo tempore, cessatis persecutionibus, Christianæ Religionis cultus publicus, ac liber, multumque fauorabilis esse cepit C; Adcō vt præne vniuersus populus Christianus effectus esset,) ipsius populi sæcularis concursus in Pōtificis electione præne impracticabilis esset, magna produceret incōuenientia; Hinc proinde, rationabiliter, actiua electio restricta fuit ad solum clerum Romanū, qui ex illis Parochis, vel designatarum Ecclesiarum Præpositis, & incardinatis Præbyteris, & clericis constitutus erat, quorum loco successerunt Cardinales, eorumq; nuncupatio exindē manauit, vt inferius in particulari Collegij Cardinalium rubrica aduertitur. D.

Istaquè hodiè receptissima consuetudo, à consensu Ecclesie vniuersalis, multorum sæculorum spatio comprobata docet, vt electio Summi Pontificis ad solū Collegium Cardinalium pertineat, per quandam speciem illius electionis Episcopi, quæ de iure (seclusa contraria consuetudine) pertinet ad solum Capitulum Cathedralis, priuatiuè ad reliquum clerum, & populum dicecesis, quamuis omnium Prælatos, ac Pastor sit eligendus E.

Iuxta verò terminos generales sacrorum Canonum, hæc electio ad solos præfentes Cardinales, collegialiter, seu capitulariter congregatos, pertinet, adcō vt absentium, siuè voluntaria, siuè legitima sit absentia, nulla ratio habeatur, sed totum ius Collegij, seu Capituli, consolidatur.

A. Passerin. de electione Pontific. quæst. 4. & in alijs præcedentibus.

B. tit. de Regular. disc. 2. & seqq.

C. tit. de præminent. disc. 3.

D. infra disc. 5.

E. Tit. de de præminent. disc. 2. & de Canon. & Capit. disc. 27. & 28.

datur in præsentibus, qui vocem habent, quamvis essent pauciores, dummodo ea, quæ seruanda sunt, seruentur, eodem modo, quo generaliter in Capitulis, aliisque comitalibus conuentibus est in iure statutum, ut etiam in duobus, vel in vno, ius Capituli consolidetur. G.

Vnde propterea, etiam in Cardinalibus, pro huiusmodi electione faciendâ, procedit idem, quod generaliter in Capitulis, & Collegijs ecclesiasticis statutum est, ut non existentes in sacris vocem non habeant in Capitulo; H. Est bene verum, quod in Cardinalibus fortè nunquam praxis huiusmodi exclusionem dedit, ob dispensationem, quæ per Pontificem desuper, illis, qui non sint in sacris, concedi solet.

In plerisque tamen, iuris communis regulæ per Apostolicas Constitutiones super hac electione Pontificis alteratæ sunt, adeo ut ista electio aliquam peculiarem naturam habeat; Primò nempe circa restrictionem in Cœclauis clauso, extrâ quod electio celebranda non est, vnde propterea, defuncto Pontifice, fiunt pro eo nouendiales exequiæ, atque in singulis diebus, in quibus pro huiusmodi exequijs peragendis Cardinales non impediti in Basilica Vaticana cœueniunt ante earum celebrationem, congregari solent in eiusdem Basilicæ sacristia, ut Principum Oratores, ac etiam officiales, & Magistratus audiant, aliasque congruas præbeant prouisiones super ijs, ad quæ Collegij auctoritas (vt infra) se extendat, pro vtriusque principatus regimine, ac etiam pro Conclauis ordinatione; Atque in hoc nouendiali spatio magis quam quouis alio tempore, elucet cardinalitia dignitas, non solum circa formam habitus, quia scilicet per Urbem incedunt cum rocchetto discoperto, & mozzetta, eo modo, quo in signum iurisdictionis incedit Papa per vniuersum Orbem, & Episcopus in propria diocesi, vel Cardinalis in propria Ecclesia titulari; Verum etiâ ob magna obsequia, quæ ab Oratoribus Regum, & Principum propriæ domi singulariter

recipiunt, atque vbi collegialiter in dicta sacristia sunt congregati, Oratores prædictos aliosque magnates genibus flexos audiunt, ita Pontificiæ dignitatis imaginem representantes.

Decima verò die, post celebratam in eadem Basilica missam de Spiritu sancto, 13 Cardinales, qui iuste non impediti, reperiuntur in Vrbe, processionaliter Conclauis ingrediuntur, quod in destinata parte Palatii Apostolici propè eandem Basilicam esse solet, atque postquam iste sollemnis ingressus est sequutus, qui non de omnibus præsentibus esse solet, cum nonnulli priuatim serò ingrediuntur.

Eisque existentibus in cellis, quæ per sortem absque aliqua personarum, acceptatione distribuuntur, per totam illam diem, liber patet aditus, Principum Oratoribus, ac Magnatibus, & Prælatibus, aliisque omnibus, tam nobilibus, quam popularibus, conclauem peragranti, atque beneuolos Cardinales in cellis visitandi, & præsertim Principum, & Republicarum Oratores, & Magnates totum Collegium visitant, eisque obsequia præstant, atque felices faciunt adulatorias augurationes;

Omnibus verò de sero exclusis, præter eos, qui in Conclauis cum Cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosæ clausuræ vndique redactum, clauditur per eiusdem Conclauis custodes, qui duo sunt Fixi, ac principales; Ille scilicet Prælati, qui ab eodem Collegio, ante ingressum, electus fuerit, qui Conclauis Gubernator dicitur; Et alter secularis, qui Conclauis Marschallus nuncupatur; Istudque munus hæreditario iure, diuturno tempore obtinuit, ac obtinet ille, qui primam figuram facit, seu (vt dici solet) est caput nobilis, ac peruetustæ familiæ Sabellorum, 14 & qui attento præsentis statu est Albani Princeps; Istaque adeo qualificata prærogatiua fertur concessa in præmium, adeo proficua inuentionis Conclauis, quo mediante praxis non tribuit illas diuturnas, & scandalosas Sedis Apostolicæ vacationes, quas chronica narrat; Alij verò custodes sunt Prælati, ac etiam respecti.

Etiam Conseruatores Populi custodientes roras, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur ad formam clausuræ Monasteriorum monialium; Dictique custodes per turnum deputari soliti singulis diebus, inuigilant ne Apostolicis Constitutionibus contraueniatur circa alloquutiones, vel literarum transmissionem; Dicti verò custodes principales retinent clauem portæ maioris, per quam habeatur ingressus, & egressus ad prædictorum Monasteriorum formam.

In Conclauis itaque sub clausura, vltra Cardinales, remanent regulariter duo cuiuslibet Cardinalis familiares, qui vulgò cœclauis nuncupantur, pro eorum seruitio, solumque Cardinalibus senibus, vel infirmis, ac etiam ijs, qui de Principum genere sint, indulgetur tertius familiaris, vel conclauista, ratione maioris seruitij, quo indigere dignoscatur, atque ab eiusdem Collegij iudicio, ac determinatione pendet an illi, qui tertium conclauistam petit, eo sit, necne dignus.

Vltra istos familiares, remanent, quoque alij officiales, vel ministri, nempe; duo magistri cærimoniarum; Sacrista Pontificis; Aliquis religiosus vir, qui tam Cardinalium, quam conclauistarum sacramentales confessiones audiat, eisque poenitentia sacramentum ministrat, ac etiam aliquas statutis temporibus faciat conciones; Necnon aliqui medici, chirurgi, pharmacopolæ, & barbitonifores, pluresque inferiores ministrantes, pro vilibus, & sordidis ministerijs necessarijs, qui recensentur in Constitutione 63. Pij IV. cum qua proceditur, & quos in parte registrant dicti moderni. I.

Et licet praxis doceat admissionem maioris numeri ministrantium, quam dicta Constitutio præcipiat; Attamen id prouenit, necessitate, ita exigente ob excretum numerum Cardinalium sub Sixto V. vt infra disc. 5.

Cardinalium absentium sollemnis cœuocatio faciendâ non est, eo modo, quo de iure in alijs electionibus, & actibus capitularibus fieri debet, L. quoniam ipsa subiecta materia conuocationem præfert, dum, mediantibus celeribus cursitationibus, vacatio Sedis intra breue tempus

per vniuersum Orbem catholicum, nota redditur, atque illi Cardinales, qui in Conclauis interuenire in animo habeant, cum nimia diligentia, & celeritate id peragunt, dum semper in eo admittuntur, quamvis post clausuram, ad Urbem accedant, quoties adhuc electio integra sit, rarique sunt casus, in quibus Cardinales etiam vltra montes existentes, id negligant.

Existentes autem extra Conclauem, quâuis in Vrbe præsentibus essent, atque ex quouis legitima causa impediti, votum non habent; Minusque in hac electione admittitur illa facultas, quæ de iure in alijs comitijs, vel Capitulis conceditur legitime impeditis proferendi votum per procuratorem M. cum solum in ipsomet Cœclauis existentibus, quibus non concedatur potestas se collegialiter congregandi in cappella, in qua scrutinia celebrantur, concedatur ius proferendi votum, non quidem per procuratorem, vel per substitutum, sed per se ipsos, reponendo schedulam in quadam arcula clausa, quæ per tres Cardinales singulis diebus deputari solitos, (& qui infirmarum nuncupantur,) asportatur ad cellas infirmorum, atque in ipso loco scrutinij publicè aperitur, ipseque schedulæ inter alias præsentium reponuntur, & scrutinyones fiunt, vt in Constitutionibus Gregor. XV. & Urbani VIII. forma præscribitur.

In eo quoque, ista electio differt ab alijs, atque in ea generales regulæ iuris alteratæ sunt, quod scilicet, generaliter electio concluditur à maiori parte, quæ minorè suffocat, seu ad se attrahit, perinde, ac si ab omnibus facta esset; Maior verò pars illa dicitur, quæ comparatione omnium congregatorum votum habentium, excedat medietatem, adeo ut sufficiat excessus in dimidio voto, quod scilicet ex quindecim vocalibus, octo sufficiant, vt in electionis peculiari sede aduertitur. N. Secus verò est in Summi Pontificis electione, quoniam non nisi duæ ex tribus partibus, non computato voto ipsius electi, eam concludunt; Vnde propterea, quando in scrutinio, vota admodum sim concludunt duas tertias absque alio voto excedente, aperiri debent schedulæ ad

G. Tit. de benef. disc. 23. & tit. de Canon. & Capit. disc. 27. & seq. in annot. ad Concil. Triad. pluries.

H. In annot. ad Concil. Trident. disc.

I. Passerin. dict. tract. de elect. Pontif. quæst. 11.
L. Tit. de Canon. & Capit. disc. 27.

M. Dict. tit. de Canon. & Cap. disc. 27 & 28.
N. Dict. tit. de Canon. & Capit. disc. 24.
seqq. & in annot. ad Concil. Triad. disc. 37.

ad effectum inspiciendi, an adsit votum electi, necne, sed si adsint in excessu, adeo ut quamuis adesse posset votum sui ipsius, adhuc electio conclusa remaneret, tunc nulla subesset necessitas adhibendi hanc diligentiam, neque attenduntur ea, quae in alijs electionibus de voto ipsius electi de iure habentur. O.

Quatenus verò pertinet ad modum; 22 Antiquitas, ad terminos iuris communis sufficiebat, ut quilibet ex tribus modis adhiberetur, per acclamationem scilicet, per scrutinium, & per compromissum, absque necessitate seruandi precisè formam scrutinijs secreti, vnde propterea (vt chronicae, & diaria docent) aliqua inconuenientia, & forsitan scandala audiri solebant in cõclauibus; P. Quare moderna Constitutio Gregorij XV; clarius explicata, & in aliquibus suppleta per alteram, Urbani VIII. certam praescripsit formam in eisdem Constitutionibus quoque delineatã; Ideoque cum in eis inspicere valeat, inane opus esset illam recensere; Conclusaque electione, eaque per electum acceptata, alij actus sunt potius ceremoniales. Q.

Quo verò ad electionem passiuam; Continuata trium circiter saeculorum obseruantia, ab Urbano scilicet sexto citra, qui electus fuit in statu Archiepiscopi Barenfis, absque Cardinalitia dignitate, docet, quod sepe electio sequuta est in persona Cardinalis; Atque hinc vulgus credit, quod qui non est Cardinalis, non sit eligibilis; Quomodo in aliquibus libris aliqua circũferuntur decreta id praescribentia; Verum erronea opinatio est, quoniam generaliter quilibet mentis compos, & fidelis, qui haereticis macula non laboret, seu non sit adeo notorie criminofus, ut scandalum toti Mundo produceret, est eligibilis; Idque aliqui extendunt, etiam ad vxoratos, & ad caecos, ita tamen, ut primo casu, vxor professionem in Monasterio emittat, atque in altero, licet DD. agendo de capacitate caeci ad publica munera, cum distinctione procedant, ut superueniens caecitas munera, vel officia, iam adepta non tollat, impediatur verò ne allia de nouo assequatur; Attamen qua-

tenus ad hanc electionem pertinet, si de facto illa sequeretur, sustineri deberet; R.

Est Bene verum, quod istae videntur ideales quaestiones, cum non de facili huiusmodi casus sint contingibiles; Atque exclusionem dictae restrictionis, comprobatur praxis in omnibus ferè conclauibus; in quibus aliqua vota esse solent in personis, quae cardinalitia dignitate non fulgeant, sed ratione Praelaturae sint viri nimium qualificati.

Dicta verò diuturna obseruantia, casui potius referenda est; Non absque tamen prudenti, ac laudabili consilio, ad instar eorum, quae ex aliquibus S. Congregationis declarationibus habentur in materia electionis Vicarij capitularis sede vacante, quod scilicet commendabile potius reputatur, ut ea cadat in persona de corpore, seu gremio eiusdem Capituli, quando in eo adsint capaces, & idonei, S. In illis enim, qui in Cardinalitia dignitate iam constituti sunt, pro frequentiori contingencia supponenda est maior peritia, & experientia; Tum ob munera in statu praelaturae exerceri solita, tanquam praeparatoria ad huius dignitatis assequutionem; Tum etiam ob experientiam, ac negotiorum Sedis Apostolicae notitiam, occasione tot Sacrarum Congregationum Cardinalitiarum.

Sedis autem papalis vacatio, pluribus modis contingere potest; Primò nempe, pro communi, ac frequentiori contingencia, per mortem naturalem Papae, qua sequuta, eiusque cadaueris per Cardinalem Camerarium, cum interuentu Tribunalis Camerae, facta recognitione per publicum instrumentum, frangitur annulus piscatorius ab eodem Camerario, cui consignatur per illum intimum familiarem, cuius fideli custodia Pontifex viuens, cum commiserat, ac propterea mors publicatur, per sonum lugubrem maioris campanae Capitolij; Istoque sequuto toleratur quaedam antiqua consuetudo, ut Conservatores populi Ramani, qui aliquam, (licet valde superficiale) imaginem iurisdictionis, cum omnimoda tamen

R. De qualitatibus electi, alijs relatis plenè Passarin. dict. tract. q. 30. & in specie de caeco Paris. de resignat. lib. 5. q. 99. n. 45. S. in Annot. ad Concil. Trid. disc. 31.

tamen dependentia à S. Collegio, reassumunt, aperiant carceres, atque carceratis libertatem tribuant, non tamen liberationem; Bene verum est, quod respectu carceratorum pro causis criminalibus, id pro frequentiori contingencia non sequitur, sed solum in ijs, qui pro leuibus causis carcerati reperiuntur, cum respectu carceratorum pro causis grauibus, ex diligentia, & mandato Cardinalis Superintendentis generalis, ac etiam Gubernatoris Urbis, aliorumque magistratum, imminente Pontificis morte, illi transmittuntur ad Arcem Hadrianam, seu sancti Angeli.

Alia species vacationis contingere potest per dimissionem seu renunciationem pontificatus, quam ipse Pontifex ex 26 eius libero, ac determinato consensu faciat, ut fecit Caestinus quintus, quem Ecclesia tanquam sanctum veneratur; Verum hucusque istud remanet exemplum singulare, adeo ut frequentius in Imperatore, & in Regibus id practicum esse, historiae doceant; Quamuis enim eo tempore, quo praefata dimissio sequuta est, non modica excitata fuerit quaestio potestatis; Eam tamen expressè determinauit Bonifacius Octauus eiusdem Caestini immediatus successor, per eius Constitutionem in corpore iuris insertam, cum qua DD. passim procedunt. S.

Tertia species vacationis, (quam Deus ex eius misericordia auertat), contingere potest ex crimine haereticis, quod Papa incurrat, vel ex alio simili, per quod magnum, ac notorim scandalum in toto Mundo generetur, iuxta debitas magisque receptas declarationes desuper traditas per decreta cõciliaria, vel Apostolica; Siue per magis communem, ac receptum canonistarum, ac Theologorum sensum, quibus in hoc relatio habeatur, cum ad priuatum scriptorem non pertineat, super his iudicium proferre. T.

Quatenus verò pertinet ad potestatem seu iurisdictionem Collegij Cardinalium sede Papali vacante; Alias desuper per 28 quosdam Cardinales consultus sui oc-

S. Cap. 1. de renunciat. in 6. Passarin. dicto tract. quest. 8. num. 15. T. agit Passarin. aliorum relator. dicto tract. quest. 32.

casione aliquarum disputationum, quae inter eosdem habitae fuerant, in diurno conclau post mortem Clementis Noni, ad quatuor menses, & ultra protracto in quo Clementis X. electio sequuta fuit, quoniam licet per Constitutionem Gregor. X. in Concilio Lugdunensi, registratam in 6. Decretalium in c. cum periculum 3. de elect., clarius verò per Constitutionem 63. Pij IV., (quae latius disponit,) statutum sit, ut Collegium, nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat, tam in concernentibus gratiam, quam iustitiam, idque rationabiliter, ad accelerandam electionem; Attamen cum in eisdem Constitutionibus limitatio contineatur, vbi scilicet necessitas vrgens, vel grande periculum imminet; Hinc proinde super huius limitationis applicatione seu verificatione, quaestiones cadere solent.

In hoc itaque dicebam mihi videri, quod in primis recurrendum esset ad obseruantiam, quae in omnibus ambiguis 28 reputari solet optima interpretum, ac interpretationum regina, tam in viuentium, & morientium priuatis dispositionibus, quam etiam in legibus, & Statutis V; Vbi verò casus esset omnino nouus, adeo ut haec via deficeret; Tunc, dixi quod non de facili certa regula generalis cuiusque casui applicabilis desuper statui potest, cum totum pendeat à particularibus circumstantijs, ex quibus iudicandum est, an verificetur, necne ratio dictae limitationis, quae principaliter attendi debet, potius quam cortex & figura verborum, iuxta illas regulas seu terminos generales, quos habemus in illis provisionibus, quae permittuntur iudicibus, etiam postquam eorum iurisdictione per appellationem vel recusationem, aut recursum suspensa esset, cum similibus.

Vt autem facilius, vel respectiue difficilius, arbitrium super hac interpretatione interponatur; Dicebam quod reflectendum est ad personarum diuersitatem, seu pluralitatem discursu praecedenti enunciatam, quod scilicet; Aut agitur de negotijs pertinentibus ad Episcopalem, ac

V. decis. 59. num. 12. par. 10. rec. & in omni materia sapissime.

O. Eeod. tit. de Canon. & capit. disc. 26. P. Recenset idem Passarin. dict. tract. cap. 23. Q. Passarin. ubi supra cap. 24.

ordinariam iurisdictionem Papæ, non, tanquam Papæ, sed tanquam Episcopi particularis Urbis, eiusque districtus; Et tunc latius fieri debeat interpretatio, atque maior videtur potestas, dum Collegium Cardinalium, verè, & propriè (considerando istam personam) representare seu constituere videtur Capitulum Cathedralis, quod etiam vivente Episcopo, æquè principaliter cum eo concurrat, ad efformandum mysticum corpus cathedralicum, cuius Episcopus est caput, capitulares autem sunt reliqua membra, siue ipsum Capitulum est reliquum corpus, cum habituali iurisdictione, cuius exercitium, totum esse solet penes Episcopum, vel partim penes unum, & partim penes alterum, iuxta naturam actuum, vel observantiam; Defectoq; capite, totum exercitium, iure consolidationis, vel iure non decrendi, remanet penes reliquum corpus, ut occasione iurisdictionis Capituli sede vacante, aut simultaneæ collationis beneficiorum sede plena, siue pro alijs præminentijs, pluries alibi advertitur. X

Atque in hoc sensu, siue ista persona attenda, sustentabile est assumptum aliquorum antiquorum Canonistarum, cum quibus, pro consueto stylo, more omniū, vel auium, quod vna volante, vel saltante aliæ sequuntur; Aliqui moderniores inconsideratè procedunt, quod scilicet, Papa, & Collegium Cardinalium, constituent unum corpus, cuius caput sit Papa, Collegium autem formet reliquas partes, Y.

Id etenim rectè procedit in hac persona Episcopi Urbis, ac etiam Patriarchæ occidentis, eodem modo quo Capitulum ecclesiæ Metropolitanæ, vna cum Archiepiscopo, non solum efformat corpus cathedralicum propriæ Ecclesiæ, propriæque diocesis, in qua Prælatus gerit personam Episcopi, & Ordinarij loci, sed etiam efformat corpus metropoliticum,

cum iurisdictione in suffraganeos, totaque prouincia, in qua pariter Capitulum sede vacante succedit.

Nullatenus verò dictum assumptum, verificabile est in altera persona Pontificia, quoniam mysticum, seu politicum, corpus Ecclesiæ vniuersalis, constituitur à Papa tanquam capite, & ab Ecclesia totius Orbis, efformante reliquum corpus, ad alios tamen effectus, non autem ad illum potestatis, vel exercitij vsus clauium dū residet penes solum Pontificem, cui singulariter, ac immediatè Christus dedit potestatem in persona Petri vt supra, *disc. præced.* insinuat; Ideoq; Collegium nullam habet iurisdictionem vel potestatem nativam, ac habitualem, quæ deduci valeat ad exercitium, sicuti habet Capitulum Cathedralis, sed solum habet illam participationem nudi consilij, & adiutorij, quam ipse Papa dare voluit; Eo modo, quo paterfamilias habens amplum patrimonium, quod per se ipsum administrare non potest, assumit aliquos seruos, vel familiares, in eius adiutorium, ac participationem administrationis pro voto consultiuo, non autem necessario, & decisiuo, atque iure ministerij potius quàm iure condominij; Ideoq; magna differentia est inter vnū casum, & alterum.

Iuxta exemplum practicum, quod habemus in Religionibus, quod scilicet aliquæ reguntur per diffinitorium generale constitutum ex Prælato generali, tanquam capite, & ex diffinitoribus, & consultoribus, tanquam membris, cœquali iure efformantibus idem corpus Religionis, cum voto decisiuo & necessario, adeo vt si Generalis abeat illi vnā sententiam; Diffinitores autem pro maiori parte abeant in alteram, ab istis concludi dicitur actus diffinitorij Z; Et conuerso autem in alijs, putà in Societate Iesu, Generalis est solus Prælatus, &

ca-

X. sub tit. de præminent. disc. 17. & seqq. tit. de benef. disc. 30. tit. de Canon. & Capit. disc. 24. & seqq. & in annot. ad Concil. Trid. disc. 31.

Y. Vestr. & add. in prax. in princ. add. ad Oldr. cons. 63. Lotter. de benef. part. 1. quæst. 8. cum alijs enunciatis tit. de iurisd. disc. 34.

Z. tit. de Regular. plurier.

caput, habet autem Socios, vel Assistentes in adiutores, & consiliarios, cum voto consultiuo, quod potest non sequi.

Atque non descendendo à foro; Habemus in Curia practicum exemplū vtriusque Signaturæ Gratiæ, & Iustitiæ, quoniam vtrumque Tribunal pariformiter constituitur ex capite, & membris, dum in Signatura Gratiæ præsidet tanquam caput ipsemet Papa, & interueniunt etiā duodecim seniores Prælati, qui supponendi sunt periti rerum legalium, ac forensium, pro causis decidendis; Et in illa Iustitiæ, tanquam caput præsidet Cardinalis Præfectus, cum eodem interuentu duodecim antiquiorum Prælatorum; Cū hac tamē differentia, quod in primo casu, votum est merè consultiuum, quod Papa potest non petere, atque petendo potest non sequi, vt quotidiana praxis docet; In altero autem est necessarium, & decisiuū, atque votum Præfecti venit in numero cum alijs. A

In hoc autem versatur æquiuocum originatum à consueta simplicitate, vel ineptia Legistarum, procedentium cum solis Maiorum traditionibus, eas in cæca fide sequendo, vel transcribendo, absque debito discursu, vel ratiocinio, quod scilicet considerant Collegium tanquam Senatum, cum exemplo Moyse, & Romuli, ac etiam Romani Imperatoris, ita confundendo triticum cum palea, dictosque vel similes casus prophanos pariformiter tractando, non autem distinguendo diuersas species.

Longè siquidem diuersus est casus Imperatoris Romani, saltim vsque ad ea tempora, in quibus tyrannicè ac de facto, sprete auctoritate Senatus, & Populi, Sedes Imperialis, occupari cepit, cum vi armorum, vel ex electione exercitus Prætoriani, vel postquam effectus est principatus hæreditarius, quoniam primæuis temporibus, iurisdictione ac potestas erat penes Rempubliam, cuius nomine, ac vice, illam exercebat senatus, à quo, siue iure, siue ex iniuria, loco Consulibus, vel Dictatoris annalis, deputari coepit Dictator perpetuus, qui assumpsit nomen Imperatoris (quod erat potius ministeriale, nempe Ducis exercitus, longe-

què minus quàm illud Regis vel Principis), sed ipse in figura capitis erat vnum ex membris polytici corporis Reipublicæ, vel Senatus, eo modo quo (ex. gr.) est hodiè perpetuus Dux Reipublicæ Venetæ, cum similibus.

Non sic est casus Moyse, & Romuli, quoniam solus Moyse à Deo electus fuit Dux populi, ipse verò pro eius adiutorio & consilio, ex ipso populo subdito, assumpsit septuaginta seniores, iure ministeriali potius, quàm iure condominij; Ità pariter Romulus postquā sub prætextu Religionis, vel inobseruantie legū, occiso Remo fratre (pro regulari natura Imperij non patiendi socium vel æqualem) effectus fuit Rex, & Dominus, pro eius adiutorio, & consilio, in eadem ratione ministeriali, ex populo sibi subdito assumpsit centum seniores, quibus Patrum nomen datum est; Eo modo quo Christus Dominus, in socios, & adiutores assumpsit Apostolos, iure ministerij, non autem cœqualis dominij cum se ipso; Vnde propterea dixit, non vos elegistis me, sed ego elegeri vos &c. Atque hodierna praxis docet hanc diuersitatem, quod in aliquibus Regnis, corpus Regni, vel reipublicæ æquè principaliter constituitur à Rege, tanquam capite, & à Senatu vel Parlamento tanquam reliquo corpore, cum voto decisiuo, & necessario, sine quo Rex, bella indicere, vel foedera inire, aliaque grauiora negotia peragere non potest; In alijs autem Regnis Rex est Monarcha, & Dominus, habet autem Parlamentum, vel Consilium, aut Senatum, pro voto consultiuo, ac iure ministerij, non autem Condominij; Et hic est casus Papæ cum collegio, vnde propterea, seclusa etiam restrictione dictarum Apostolicarum Constitutionum, Collegium nullam habet participationem iure proprio in potestate pontificia, eo modo quo habet in potestate, vel iurisdictione Episcopali seu cathedralica, cum ecclesiasticum regimē vniuersale sit vt rē monarchicum.

Et licet praxis doceat, quod in aliquibus actibus, eius potestas quodammodo restricta videatur à consensu Collegij vt (ex. gr.) habemus in Constitutione Pij P. 2. Relatio D V. de

A. infra disc. 30. & 31. agendo de his tribunalibus vtriusque Signaturæ.

V. de non infeudando, & in altera Sixti V., super usu pecuniae existentis in Arce Sancti Angeli, cum similibus; Attamen (quidquid sit de qualitate, seu natura dictae restrictionis, & an sit physica, & praecisa; vel solum moralis, super quo locus veritati relinquatur); Attamen id duplici causae referri potest; Vel scilicet vinculo iuramenti per ipsum praestiti, quod eius personam afficiat, iuxta ea, quae supra, *disc. praecedenti*, habentur de capitulis conclavis; Vel quod haec, & similia non peccentiam usum clauium, ac personam vel potestatem pontificiam, sed potius principatum temporalem, in quo diuersa militat ratio, ut infra.

Quinimmo, licet Ecclesiae vniuersalis, quae per Concilium generale repraesentari solet, conueniat dictum attributum corporis, cuius Papa sit caput; Attamen id non procedit generaliter ad omnes effectus, sed solum ad aliquos, puta vacante sede papali, eligendi nouum Pontificem, cuius electorem, vel nominatorem dare oportet, & quae potestas ab ipsa Ecclesia de consuetudine attributa fuit collegio Cardinalium; Vnde propterea quando contingat vacatio adhuc durate Concilio generali, legitime congregato, intrare solet quaestio excitata in Concilio Constantensi, & sopita cum temperamento enunciata, *disc. praecedenti* de qua meum non est agere.

Ac etiam residet alia potestas, non quidem deponendi in ratione auctoritatis, sed declarandi in ratione iudicativa, an ille qui de facto sedem Papalem occupat, sit legitimus, necne; Ideoque non est exercere iurisdictionem cum Papa uti Papa, & cum ipsa dignitate, sed cum illa priuata persona, & an sit talis, qualem se facit; Istamque potestatem consuetudo non communicauit Collegio Cardinalium, quod propterea ad id procedere non potest, sine Concilio, iuxta eam sententiam, quae probabilior videtur B; relinquendo in his, & similibus locum, veritati cum ad priuatum Doctorem non pertineat ea decidere.

Super hac eadem potestate Collegij, praesertim in conclavi, quaestionem reasumunt dicti moderni de Pontificis ele-

ctione tractantes, C an Collegium iurisdictionem habeat cogendi Pontificem iam electum ad declarandum an acceptare velit electionem, de se factam; Attamen id non importat exercitium iurisdictionis, cum Pontifice, (ut aliqui aequiuocando opinari videntur), sed potius importare videtur certificationem actus conclusionis electionis, ex quo pendet, an ille sit Pontifex, necne, dum pro huiusmodi conclusione seu perfectione, copulatiue requiritur vterque consensus actiuus eligentium, saltem pro duabus ex tribus partibus, ut supra; Et passiuus ex parte electi, ne alias res remaneat in incerto, Ideoque non est cogere Pontificem, sed personam priuatam, ad declarandum an velit esse Pontifex, atque assumere illam potestatem necne.

His autem stantibus, quod scilicet in ijs, quae concernunt usum clauium, ac potestatem pontificiam, Collegium nullam habeat iurisdictionem, iure suo, eo modo quo habeat in iure Episcopali Urbis, ut supra; Hinc motiuabant aliqui timorata conscientiae Cardinales, quod male Collegium se ingerebat, dando secretario Congregationis Concilij vel alteri Episcoporum & Regularium, seu Nuntijs aliquos ordines in concernentibus potestatem ecclesiasticam, seu pontificiam, extra districtum Urbis ad quem se protendit potestas Episcopalis; Verum dicebam, quod id ubi necessitas, vel iusta causa ad praedictarum Constitutionum praescriptum exigeret, recte fieri valeat ex potestate Patriarchali, intra partes sub hoc Patriarchatu sine dubio cadentes, atque ita tolli dicebam difficultatem.

Demum quoad ea, quae concernunt dominium, vel principatum temporalem; Siue ipse referatur donationibus & concessionibus Constantini, aliorumque Imperatorum, & Principum iuxta enunciata, *disc. praecedenti*; Siue ditioni populorum, vel alteri cuiusque titulo; Cum Papa consideretur tanquam Princeps temporalis, regulandus iure aliorum Principum temporalium; Hinc sequitur ut habitualis potestas resideat penes Rempublicam, cuius Princeps dicitur maritus, vel primus minister & regulator

C. Idem Passarin. dicto tract. dicta quest. 31.

B. de hoc etiam agit aliorum relator Passarin. dicto tract. quest. 6. & 31.

S V M M A R I V M

tor; Et per consequens ut eo naturaliter, vel ciuilitate mortuo, ipsa reassumat suae potestatis exercitium; Sed quoniam istud impossibile est explicari per vniuersam Rempublicam, omnesque populos; Hinc proinde, de generali Principatum consuetudine, illud transfusum est in aliquem Senatum, vel in alium caetum comitiale qui sit totius Rempublicae representatiuus; Eo modo quo (ex.gr.) in praxi Diffinitores, & alij Vocales congregati in Capitulo generali representant vniuersam Religionem, illamque regunt; Id quae adaptabile est Collegio in comitijs coadunatis pro electione Principis; Ideoque in hac parte eius potestas latius patet, quam ubi agatur de usu clauium.

In ijs autem casibus, in quibus respectiue, ut supra, iurisdictione vel potestas intrat durantibus exequijs ante ingressum conclavis, negotia explicantur in congregationibus quotidie haberi solitis ut supra; In conclavi autem, ob Collegij continuas occupationes in binis scrutinijs, quae de mane & de sero fiunt pro futura electione, explicantur per tria Capita ordinum, quae quotidie per circulum deputantur, idque ritualia potius concernit; Aliaque ad hanc materiam insinuant dicti Moderni de hac electione tractantes cum ista non sit formalis tractatio, sed simplex relatio rerum magis practicabilium.



Quomodo Papa suam iurisdictionem vel potestatem exercent, in omnibus eius principatibus vel personis, tam per se ipsum, quam per eius officiales, & Magistratus; Et Qui na isti sint; Et praesertim de Legatis, & Nuntijs.

- 1 Antiquitus Papa solus suum munus explebat, & quare.
- 2 De origine suae introductione Cardinalium.
- 3 De communicatione regimini facta Cardinalibus, & introductione Consistorij.
- 4 De Vicario alijsque Cardinalibus Vfficialibus Papae, & de alijs officialibus.
- 5 De eodem, & de distinctione officialium in Curia, & extra.
- 6 De consistorio Cardinalium.
- 7 Qui sint iudices, & officiales in curia, & Congregatione Cardinalium.
- 8 De officialibus, & tribunalibus tam Principatus temporalis quam Ecclesiastici.
- 9 De officialibus Palatii, seu particularibus.
- 10 Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi sunt etiam officiales Papae, & de ratione.
- 11 De Legatis de latere, eorumque iurisdictione, & potestate, ac praeminentijs.
- 12 De legatis Ordinarijs prouinciarum Status Ecclesiastici.
- 13 Auditor vel Locumtenens generalis Legati quam potestatem habeat.
- 14 De potestate Legatorum Ordinariorum, & an statuant contra ius.
- 15 De Vicelegato eiusque potestate.
- 16 De Nuntijs Apostolicis, & Internuntijs, vel Collectoribus.
- 17 De Gubernatoribus, & Praesidibus Ciuitatum, & prouinciarum Status Ecclesiastici.
- 18 Quod isti sint magistratus seculares sed eis quandoque communicatur iurisdictione cum clericis, & Ecclesiasticis.
- 19 De occupationibus Papae in singulis diebus, & horis.
- 20 De bonis effectibus exinde resultantibus, bonoque ciuili regimini huius principatus.
- 21 Quod bonum regimen proueniat ab integritate Officialium, & ministrorum.
- 22 De gubernio tempore pestis.
- 23 Quando attendi debeat potius causa virtutis, quam ipsa virtus, & quando e contra.